



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Acta Ecclesiae Mediolanensis

Actorvm Ecclesiae Mediolanensis, Pars Tertia - In Qva, Liber Memorialis Ad
populum Ciuitatis, & Dioecesis Mediolanensis, A Beato Carolo Borromaeo
Titvli Sanctae Praxedis compositus continetur

Borromeo, Carlo

Brixiae, 1603

Attestatio electionis, & approbationis Iudicum synodalium.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10502

tes, & sancta decreta in omni opere bono exequentes, digni reddamur misericordia & gratia magni & summi Sacerdotis Iesu Christi Dei, intercedente simul Beata eius genitrice Virgine Maria, Beato Ambrosio confessore Patre nostro, & omnibus sanctis.

Respon. Amen. Amen.

Quibus absolutis Illustrissimus Archiepiscopus dedit omnibus Canonicis ordinariis Ecclesie Metropolitanæ, & præpositis collegiarum Ecclesiarum Ciuitatis, & Diocesis, & Vicariis foraneis, & Syndicis regionum Ciuitatis, osculum pacis: & demum cum benedictione solenni, & publicatione Indulgentiarum dimisit vniuersum Clerum.

Formula attestationis electionis & approbationis Iudicum Synodaliū.

Fidem facio & attestor ego N. Cancellarius Archiepiscopalis, in Synodo Diocesana N. Mediolanensi sub die . . . mensis N. inter ipsius Synodi celebrationem, ex pluribus propositis, infrascriptos RR. DD. Iudices causarum, ex præscripto Tridentini Concilii electos, approbatos, designatos, ac deputatos fuisse; videlicet, Multum RR. DD. N. N. N. N. N. N. N. I. V. Doctores. In quorum fidem & attestationem præfentes manu mea subscriptas, & sigillo Archiepiscopali Sancti Ambrosii munitas fieri volui. Dat. &c.

Formula prorogationis Synodi Diocesanae.

Carolus &c. Superiori proximo anno, Synodum diocesanae, quam ex Concilio Tridentini præscripto quotannis habere debemus, hoc anno, die 18. mensis Octobris, qui dies est Sancti Lucae Euangelistæ, habendam celebrandamque esse, nos in ipso Diocesano con-

uentu indiximus. Sed cum & visitatio in diocesi nostra à Reuerendissimo Visitatore Apostolico inchoata, nondum perfecta sit; & nos visitationis etiam à Sanctissimo Domino nostro Gregorio Decimo tertio nobis delegatæ, occupationibus hoc tempore detineamur; illam differendam esse censuimus, prout his literis in alium diem arbitrata nostro statuendum, aliisque literis edicendum, differimus, & prorogamus. In cuius rei fidem, has, quas edicti publici vim habere volumus, sigillo Archiepiscopali Sancti Ambrosii obsignatas, Cancellariisque nostri subscriptione munitas, in valuis Metropolitanæ nostræ Ecclesie, ædiumque Archiepiscopaliū, publicè proponi assignique mandauimus. Dat. &c.

Alia eiusdem generis.

Carolus &c. Synodum diocesanae, quæ decreto perpetuæ indictionis in Synodo proxima per nos edito, die 24. mensis Aprilis hoc anno futura erat, ob pestiferam contagionem, à qua adhuc, peccatis nostris ita exigetibus, hæc vrbs, & diocesis omnino libera non est, in aliam certam diem, arbitrata nostro statuendam, publiceque indicendam, prorogamus, ac differimus. In cuius rei fidem &c. Dat. &c.

Alia eiusdem generis.

Synodum diocesanae, quæ ex decreto nostro in Synodo proxima superiore indicta, & in Epiphania Domini iussu etiam nostro à Reueren. Archidiacono in Metropolitana Ecclesia solenniter denunciata, & in Calendario adscripta die vigesimo Aprilis, hoc anno futura erat, prorogamus ac differimus ad diem vigesimum sextum mensis Maii proxime sequentis. In cuius rei fidem &c. Dat. &c.